

mori eius alligatus cum ipso combustus est. Combustio haec facta est Geneuae a. clo lo lxxx. die xxvi. Octobris. Sic obiit *Seruetus*, homo, si ingenium et doctrinam spectes, certe magnus, vt illa erant tempora, si religionem, portentosus. De quibus omnibus pluribus exponit IOHANNES LAVRENTIUS MOSHEMIVS in *Historia Michaëlis Serueti, quae prodiit Helmstadii clo lo cc xxvii. in primis quod ad Restitutionem Christianismi attinet, §. 20. p. 49. 199. seqq.* Copiosius b. vir omnia enarrat in libro, qui prodiit Helmstadii a. 1745. et inscribitur: *Anderweitiger Versuch einer vollständigen und unparthenischen Keßer-Geschichte, und zwar Geschichte des berühmten Spanischen Arztes, Michaels Servet, in primis lib. 3. §. 15 - 28.*

IV. Est igitur *Serueti* liber, quem vocat *Restitutionem Christianismi*, potius destitutio, imo destructio Christianismi, quam restitutio eiusdem, adeoque merito detestandus. Eo maiorem laudem meretur D. IOANNES VALENTINVS ANDREAE, qui superiore seculo libellos lectu dignos *de restitutione reipublicae christianae in Germania* vulgavit. Erat is magni aui, *Iacobi Andreae*, non minor nepos. Vtriusque memoria apud eos, qui illorum merita norunt, fausta est. *Iohannes Valentinus Andreae* ex Superintendente Caluensi a. 1639. Ducis Würtembergici restituti, Eberhardi, concionator Aulicus et Consistorii Assessor, diu reluctatus, factus est. Quumque vires eius languescere coepissent, primum abbas Bebenhusanus a. 1650. deinde Adelbergensis a. 1654. constitutus est. Quo anno natus annos 68. obiit. Erat vir acutissimi ingenii, subacti iudicii et feruidi Spiritus, pietate et zelo pro veri christianismi praxi excellens, restaurator ordinationis ecclesiasticae et sanctioris disciplinae indefessus: reformationis ecclesiae Lutheranae, quantum ad corruptos mores, summe cupidus. Mentem eius emendandarum corruptelarum ecclesiasticarum et scholasticarum cupidissimam elegantes ipsius libelli eloquuntur, sicut: *Cosmoxeni genitura: Hercules christianus: christianus*